

Panor. super secunda Primi.

tur habere ratū transitum, ex quo tanto tempore tacuitur, & non contradixit: dicit tamen, q̄ si spectaret ad ipsū qui haberet dare licentiam, tunc collatio beneficii, demum lapsis sex mensibus deuoluitur potestas conferendi ad superiorem, per id quod habetur, infra de præb. ca. de multa. §. & si vltra. dic. etiam, q̄ tutius est, quando ad alium spectat, dare licentiam transeundi, & ad alium electio, vel presentatio beneficii, q̄ petat antequam fiat electio: quia ratificetur transitus per habentem dare licentiam. Et subdit etiā, q̄ si intra sex menses charitativè monitus cū aliquibus intervallis, vt debeat, vel reuocare clericum, vel ratificare transitum, non voluerit respondere, q̄ ex tunc postea etiam ante finem sex mensium poterit fieri electio per id, quod habetur in c. i. de sup. neg. præla. quasi aliter non providendo videatur tacite ratificare transitum. Sed iuxta prædicta insurgit dubium, quid faciet secundus diœcesanus, vel prælatus ad cuius ecclesiam transiit sine licentia alterius prælati, in cuius diœcesi tenebat primū beneficium? dicit Innoc. q̄ diœcesanus secundus ecclesie poterit ipsi clerico statuere terminum intra quem obtineat licentiam a primo diœcesano, alioquin lapsō dicto termino si non obtineat, poterit illum priuare ecclesia, & de alia persona prouidere. argum. e. quoniam frequenter. §. si vero aliter, infra ut lit. non cont. & in fra de cle. non resi. c. quia nonnulli. & c. relatum. & prædicta dicit Hostien. esse vera de iure. Dicit tamen q̄ quotidie de facto tales sine licentia eliguntur, secundo transferuntur. Et ex quo sic translati & recepti sunt ad prælaturam, vel rectoriam cum cura, priora beneficia, quæ habebant similia ipso iure intelliguntur vacare, quæ tamen plerumque de facto retinentur. Sed omnibus istis, potest responderi secundum eum per id quod habetur in c. cum iam dudum, inf. de præb. quia multa per patientiam tolerantur & c. facit quod not. in d. ca. de multa. ad hoc etiam emanauit extrauagans. Io. 22. que incipit execrabilis. contra tenentes plura beneficia curata, vel plures dignitates; & ibi etiam multas pœnas imponit talibus. In ead. gl. ibi, Ad religionem. Not. glo. ex eo quod dixi, & etiam hic sequitur Inn. Nec ob. si dicatur q̄ potius debet hic transiri posse ad aliam dignitatē vbi versatur publica vtilitas, sed in transitu ad religionem versatur priuata vtilitas transeuntis solum, licet secus in dignitate. facit quod habetur in l. Barbarius. ff. de off. præto. quia potest responderi, q̄ præsumptio ambitionis, quæ verissimi liter cadit circa dignitatem, potius quam circa transitum ad religionem, tollit contrarium, vt no. glo. in c. literas. 63. dif. facit quod no. supra de post. præl. c. bonæ, il. i. In ea glo. in fi. Et sic tenet glo. q̄ prælatus vel clericus vnus ecclesie dū modo sit idoneus, potest eligi ad aliam ecclesiam, nec est necessitas postulari. Potest etiam electio consentire, vt patet in c. cum inter canonicos. alle. in glo. non poterit tamen transire ad aliam ecclesiam sine licentia sui superioris. Et hæc est communis opinio. quam etiam sequutus fuit. Vinc. in nouo apparatu quem fecit super hac noua compilatione, licet in antiqua compilatione teneret contrarium, vt dixit gl. & cum glo. concor. etiam Io. in c. Ofius. §. sed aliud. 61. dicitur. Aliqui tamen voluerunt facere differentiam inter prælatū & curatum ex una parte, & alios clericos ex alia, vt prælati & curati, quia vinculari & alligari ecclesie non possunt eligi, sed debent postulari: sed alii bene possunt eligi. Sed hæc opinio. (ut dicit Io. And.) expresse reprobatur per id quod habetur in c. si Abbatem de ele. in 6. Vbi Abb. etiā exemptus non posset transire ad aliam ecclesiam sine licentia Papæ. tamen potest eligi, & non debet ante postulari, vt hic, & sic non valet consequentia. non potest transire sine licentia superioris: ergo est postulandus, non eligendus; quia illud nõ est verum, & etiam si requiratur licentia Papæ, ut ibi est expressum: & sic speciale est in Episcopo, & superioribus, vt non possunt eligi, sed postulari debeant: quia sunt matrimonialiter alligati ecclesie, & non possunt dissolui a dicto vinculo sine licentia Papæ, vt plene consuevit dici in ca. fin. supra de postu. prælat. & si patet proprie & strictè loquendo q̄ solum Episcopi, & superiores possunt deferre anulū, licet alii inferiores etiam ex priuilegio possint. Et per prædicta etiā patet Abbatem, vel alium prælatum non dici proprie esse, matrimonialiter alligatum suę ecclesie, alias non posset eligi, sed deberet postulari, & præcipue quando non posset transire sine licentia Papæ, vt quia est exemptus, quod est contra tex. in d. ca. si Abbatem. Item aduerte, quia vbi eligitur clericus ad aliam ecclesiam, si Episcopus suus nolit sibi da-

re licentiam, poterit Episcopus cogi per suum superiorem, & sic per Archiepiscopum suum ad dandum licentiam. vt dixit glo. per id quod habetur in c. nullus. alle. in glo. & facit quod no. & le. in c. si religiosus. de ele. in 6. & hoc intellige, vt dicit glo. per id quod habetur in c. nullus. & c. si religiosus. Quis autem sit superior, qui habeat compellere ipsū eo casu quo compelli potest. Quidam dnt, quod Archiepiscopus, vt supra dixi. Alii vero dicunt q̄ erit Papa, quia nemo alius inferior potest rem alterius dare, vel iuri alterius, preiudicare. facit quod habetur in c. dilectus, in fi. a de offic. deleg. & infra de reli. do. in c. constitutus. Sed Io. And. dicit, q̄ aliud ē querere, quis possit eum compellere. nam primo casu videtur dicendum quod procedit secunda opinio. ut superior tunc intelligatur Papa. Sed si queritur quis sit superior quo ad compellendum, procedat prima opinio. videlicet, quod sit Archiepiscopus, cui Episcopus etiam subiectus ē, per ea que habentur in d. c. nullus. quod intellige quādo subest causa compellendi; si autem non subest, tunc etiā quo ad compellendum superior esset Papa, quia etiam non subest causa compellendi solus Papa poterit compellere, facit quod no. per glo. in c. si religiosus. de ele. in 6. ¶ Vlt. dicit Io. And. quod uidetur posse fundari dispositio huius de cre. per ea que habentur, infra de reg. iur. c. beneficium lib. 6. Nam uolens renunciare beneficio Episcopo inuito, poterit ingredi religionem probationis causa, & de ipsius consensu poterit alteri concedi beneficium. vt hic patet. Sed dici potest, quod si beneficium spectat ad collationem Episcopi, nulla poterit fieri fraus, quia si conferat Episcopus, q̄ habet conferre, nõ fraudat eum, quia ipse Episcopus videtur tacite prestare autoritatem tacite renunciationi, conferendo alteri de illius consensu: sed si beneficium esset electiuum, & ad alium spectaret electio, vel presentatio, & ad ipsū confirmatio, vel institutio, tunc bene posset fieri fraus si sufficeret consentire habenti eligere, vel presentare, sed requireretur etiam, quod consentiret habenti instituire vel confirmare, & sic illi qui habet potestatem & autoritatem præstandi renunciationem; de quo per Io. And. in c. ex ore, infra de his que fia. maior. par. ca. & etiam tangit in regula, is qui tacet. de regu. iur. in Merc. dicit tamen q̄ tutius erat q̄ expresse renunciasset in manibus superioris habenti potestatem authorizandi renunciationem.

ADDITIONE.

¶ Non subsistente causa. Idem in Imperatore, ut no. Ang. in l. 3. §. si is pro quo, si. quod quique iur. Sed tu dic, q̄ in Papa non est dubium, ut per do. Ant. de But. in c. constitutus. de reli. do. Fel. in c. que in ecclesiis. col. 17. verū per istam declarationem, supra ce. constit. & Ro. consi. 27. inci. Circa præmissa, in princ. vero secus, ut per Raph. Fulg. in l. si C. si quis uel ut. pu. iste expressus in c. 2. de reb. eccle. non alic. & Fel. in alle. c. que in ecclesiis. col. 10. ver. secundum uero membrum, & ista est communis opinio ut ibi per eum. Zac.

S V M M A R I V M.

- 1 Renunciatio beneficii potest adducere testes quod conste renunciauit. aliter uero nõ potest probari quod sponte renunciauit. 2. 14. 23. 24. 28. 51
- 3 Excipiens non tenetur dicere causam sue exceptionis. 16. 9. vbi iudice cogente tenetur exprimere causam, vide in d. nu. 16. 19.
- 4 Confessio sine causa ad obligandum non ualet, secus ad liberandum.
- 4 Testis non arctatur ad iustificandum factum a se relatum, dummodo ipsum referas cum causa scientia &c.
- 5 Dicitio, re. aliquando stat abundanter, aliquando denotat instantiam quandam cum sollicitudine. 37.
- 6 Negatiua, que habet implicitam affirmatiuam est probabilis. 15.
- 7 Renunciatio beneficii facta cum iuramento, vel sine, obstat clerico illud repetenti.
- 8 Excipere uidetur ille qui opponit factum ex quo causatur exceptio.
- 10 Iudex vbi ex officio suo potest supplere, non arctatur ad supplendum, nec potest appellari si non suppleat.
- 11 Renunciatio beneficii non presumitur sponte facta. 30.
- 12 Simonia committitur, siue detur pecunia, siue promittatur, vel aliud temporale. 52. 53.
- 13 Exceptio legitima infringit actionem, si non repellatur per legitimam replicationem.
- 14 Testes si sint producti ab utraque parte, attendatur quis melius probauerit habito respectu ad dignitatem, & opinionem, & numerum testimonium.
- 17 Actio, vel exceptio contra quam est aliqua presumptio, an sit per iudicem admittenda.
- 18 Versio in uilitatem ecclesie non presumitur, nisi probetur. 22.
- 20 Exceptio non uersimilis, an sit admittenda. 31.
- 21 Testis super articulis directo contrariis non admittitur post publicatas primas attestaciones.
- 22 Libellus non continens certam & determinatam causam, an admittatur.
- 25 Testis an arctatur dicere causam facti relati per ipsum, & ab alio gestit?